

cum nihil nisi quod fides, Sancta mater illa, pepererit, pro genuino fructu coram oculis DEI agnoscat et declaretur. Rom. XIV, 23. Habemus consentientes Interpretes non imperitos: Audiamus BARTHOL. WESTHEMERVM: *Simplicitas 2. Cor. XI. ipsa fides est, non contaminata doctrinis aut versutiis, de quibus Eph. IV. Error enim versutia se defendit: veritas vero simplicitate gaudet:* de Tropis et Schematibus Scripturae p. 147. Audiamus idem ex Reformatis fatentem RAVANELLVM: *simplicitas, quae est in Christo, sumitur pro puritate et sinceritate evangelii, seu pro pura, vera et sincera Evangelii Christi doctrina, et ex consequenti pro pura et sincera fide vel pietate, et merito quidem per simplicitatem denotatur doctrina Evangelii, nam veritas est res simplex, id est, nuda, aperta, cum e contrario mendacium sit πολυχιδῆς multiplex, et fuco gaudeat regi, ac sophisticis et dolosis argumentis defendi Eph. IV, 14. Biblioth. Sacra T. II. p. 1105.*

VI.

Non praeter rem D. Lutherus Interpretum omnium quicumque sunt optimi et genuini, Dux praestantissimus, nonnunquam hanc vocem ἀπλότητος vertit per *Unitatem*, quandoquidem cum veritas nonnisi sit unica et simplicissima, etiam in unitate illa fidem nostram unice acquiescere posse ac debere indicare voluit. Ita exposuit hunc locum nostrum in primis mox scriptis T. II. *Alt. p. 32.* ubi de Satanae astu loquitur, dicitque eum operam dare, ut animos hominum ab unitate in Christo avellat, quandoquidem id quod simplex est, πολυμορφίαν et difformitatem non admittit, perinde ut res simplici colore tincta diversicolori rei opponitur. Crediderim hanc vocem quodammodo exprimere, quod lingua Spiritus S. in Veteri Testamento per notionem τῶν ἑνῶν indicat, quod cum in Plurali (תמים)

B

ad-